



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 42. de aspiciendi modo ad tex. eundem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Colorem medium maximè probat. Philosophus in 5. lib. de animalium ortu cap. 1. quod optimam significet temperationem. Extremi defectum aliquem habent aut excessum: & vel facilius, quam par esset, vel cum nimia difficultate, pariuntur ab obiectis: propterea non tam bene vident. Et oculus niger melius interdiu videt, quam glaucus hic enim melius noctu. Nam ille multum & confertum habet humorem, qui non nisi à magna luce mouetur: hic exiguum, qui modica indiget luce, atque à multa dissipatur. Ille tamen facilius fit luscus, quia cum abundet humor, si amplius excesserit, facit luscum. In glauco excessus hic esse nequit: Sed si siccatate potius laborabit, exiguo scilicet illo humore siccat. Hinc etiam cognoscitur, cur senes propinqua quaedam obiecta non cernant, quæ remotiora melius vident. Nimirum eorum oculus est siccat, quemadmodum & totum corpus; paucumque habet spiritum. Quare ab obiecto propinquo nimirum patitur & spiritus dissipatur; à remotiore accommodatè magis mouetur. Hæc & huiusmodi plurima ex oculi constitutione ac præsertim ex pupilla pendunt; omninoque confirmant, eam esse præcipuam oculi partem & potissimum videndi organum.

DIGRESSIO XLII.
De aspicendi modo.

Idem est de aspectus organo: superest & de operatione dicere. Plotinus in lib. de dubijs animæ vel diuisione cap. 4. tres opiniones tangit. Primam, ita per radios visuales, vt per capillos aut manus, propagare animam sese atque sensilia tangere. Alteram, non propagari animam per radios, sed eos quasi virgas extendere ad obiecta eorū, inde ad animam reuerterari & tenuitate obiecta. Tertiam, lumen ab obiecto figurari, figuratumque ad oculos peruenire. Circa primam ludit, inquit Plotinus; alteram deridet, tertiam reprobat. Tantamque vult esse inter aspectum & obiectum compatiendi conformitatem, vt satis vicissim moueantur & agant, etsi nulla in medio contingat passio. Sane ex Antiquis permulti visionem fieri crediderant emittendo, egressūque relictū ab oculo. Pythagorici namque egredi voluerunt luminosos radios, qui si obiectum sibi simile, hoc est illuminatum, inuenierint, regrediantur ad illud oculo representandum. Hypparchus, Stoici, & Empedocles, emitti corpus aliquod luminosum, seu radios, qui obiectum totum complecterentur: & siquidem obiectum esset illuminatum, oculo illud representarent; si minus, illuminarent tenebras eaque illuminatas videri. Porro hanc emissionem & completionem sunt perspectiui, & hæc ratione explicarunt, vt radios dixerint ab oculo progredi inftar pyramidis; cuius conus sit in oculo & basis in obiecto; tantamque esse basim, quantum est obiectum quod debet cerni. In eius autem medio lineam rectam existere, quam appellant sagittam; per quam immediate fiat visio. Sed quæ remotius obiectum fuerit eò fieri minorem conum in oculo; quoniam lineæ longiores sunt & in maiori distantia à basi concurrunt; & ideo remotum obiectum videri minus, quam propinquum. Alij aeris impulsu ab oculo in conum figuram vsq; ab obiectum constare visionem voluerunt. Plato autem in Timæo & Platonicus, quos Galenus sequutus est in 7. lib. de Hippocratis & Platonis decretis capite quinta, visionem fieri tradi-

derunt emissionem lucis seu luminosorum radiorum ab oculo, qui cum diurno lumine concurrentes atque permixti, quò oculorum acies diriguntur, ibi visionem faciunt. Nocte autem non vident; quia abeunte diurno lumine, id quod ab oculo egreditur, euanescit. Quæ Platonis oratio oculum accipit esse igneum atq; internū continere lumen ac splendorem, quem possit emittere.

Verum aduersus hæc omnia tum Aristoteles disputauit in lib. de sensu & sensibili. c. 3. tum Alexander in comillius lib. & in 2. de anima c. 32. & seq. & Philoponus in digres. tex. 69. quæ omnia & diligenter collegit & auxit Theophilus Zimara in com. tex. 69. Ego igitur sic statuo. Ex oculis certum est emitti aliquid; vt oculi testantur menstruatæ mulieris inficientes speculum: & basilisci necantes hominem: & falcinantium, & similia aliorū. Verum per hoc, quod emittitur, non fit visio. Quod si Aristoteles in probl. 15. & 16. sect. 3. ab oculis dicat emitti radios, aliquando vitiosos, nonnunquam dispersos: & in 3. Meteororum lib. ca. 2. fieri accipiat refractionem ab oculo, & c. 4. cuiusdam meminerit, qui tam debilem habebat aspectum, vt illius radij reflecterentur semper in aere, & ideo imaginem suam vbiq; in aere cerneret: ex aliorum sententia loquitur, siue Platoniorum, siue perspectiuorum: meminisseque nos oportet quidam ab illo scriptum sit sub finem c. 1. lib. 5. de animalium ortu. Nihil enim, inquit, interest, an visus exitu cerni dicatur, vt quidam aiunt, & que sequitur. Similem enim addit motui effici visionem necesse est. Quare cum eodem modo videret ea, quæ ad visionem spectant, explicari posse, siue ab oculo exeat quidpiam ad obiectū, siue ab obiecto ad oculum, nihil mirū, si ex aliorū cōmuni sententia interdū accepit egredi aliquid ab oculo ad obiectum. Nam & perspectiui, cum eodē modo rē explicari posse animaduertent, quippe idē anguli & in oculo & in obiecto fieri possunt, maluerunt antiquorum loquendi modū retinere, visionem emittendo fieri affirmantes.

Aristoteles vero vbi hæc difficultatē in lib. de sensu & sensibili accuratè magis examinavit, suscipiendo potius aliquid ab obiecto, quam ad illud emittendo, visionem fieri affirmavit. Senlerat quoq; Democritus ita visionem perfici: sed in oculo suscipi voluerat corpuscula ab obiecto emissa, eum ipsius simulacra. Verū ab Aristotele & Alexandro necessariis rationibus confutatur. Tum quia conspiceretur obiectū & augetur oculus, fieretq; singulis momentis multo maior, cū plurima semper obiecta cernat, à quibus hauriret corpuscula. Tum quia res viderentur esse minima, si per ea corpuscula conspicerentur. Tum quia corpuscula illa facile à vento transportarentur, quolibetq; vel minimo vento stante nihil cerneretur. Ita constituerunt Peripaterici in oculo suscipi solū lumē, aut speciē intentionalē ab obiecto emissam, aut motū potius obiecti visionisq; actum eum speciē & formā obiecti cogniti. Nā cū reliquas sensationes constat non emittendo, sed suscipiendo fieri, quidni de visione idē sentiamus: Etenim sentire pati quoddam est, immanentemq; actionē significat, quam fieri constat in oculo, atque in ea parte, in qua videndi facultas residet. In ea igitur coniungi oportet obiectū cū facultate, estq; verisimilius, obiectū ad facultatem accedere, quam hanc ad obiectum egredi. Crystallinus autē humor propterea videtur in exteriori superficie figuram habere planam, vt quidquid forinsecus accedit, promptè suscipiat: quod in extremo l. 10. de visu partū fatetur Galenus.

Visionē suscipiēdo fit.

Oculus cur videtur do fatigetur.

Quod si fatigatur oculus videndo, atque ut accute cernas comprimis palpebras & conatum adhibes, quasi aliquid emisurus; (si enim susceptio fieret visio, cum sit perficiens, non corruptens susceptio, fatigatio nulla foret; neque claudenda, sed aperienda palpebra essent:.) Sciendum est fatigari oculum, non susceptione; sed conatu quem adhibet facultas ad operandum; ad firmandum oculum, ad continentium seu conuocandum spiritum, multaq; spiritus consumptione. Praesertim quod materialis & extensa facultas sit, saltem in bestiis. Eiusmodi enim facultates operando fatigantur, ut est in tex. 32. lib. 8. Phys. in homine autem fatigatio est organi, non facultatis, quae abstracta est. Cōtra huius autem palpebras bene visurivel ad obrenbrādūm oculū, ne lux nimia oblit, vel ad vniendūm visum spiritum totamq; videndi vim; vel demum vt motus ab obiecto magis vnitē suscipiatur in oculo.

Visio est sine specie ab obiecto immissa.

Porro duobus modis perfici haec operatio potest. Primum ex eo duntaxat, quod facultas vim habeat videndi & organum sit bene affectum, atq; obiectum in debita distantia positum atq; illuminatum potumq; medium quam optime affectum. Vbi enim haec omnia ita se habeant, nil aliud superest, quam vt facultas attentā cognitionis actum eliciat quae visio non emissionē, sed susceptione conitat: quoniam nihil ab oculo exit; & visionis ille actus in ipsa facultate suscipitur non ad obiectum progreditur.

Altero autem modo, si praeter hanc totam facultatis obiecti & medij dispositionem accidat etiam obiecti in pupilla representatio. Pupilla enim corpus est politum & versum, perquam aptum representare, vt speculum. Dum vero obiectum in pupilla, in qua est anima, representatur; optime videtur, si attendat anima. Ita oculus propterea fuerit animali datus, vt sit quasi animatum speculum, in quo cernantur. Quae sententia fuit Alex. 1. d. in capite. 38. posterioris lib. de anima; & Aristotelis ceteris Peripateticis maxime videtur consentanea, dum in aspectu imagines & simulacra obiectorum nominat. Hoc autem modo magis adhuc perspicuum est, visionem suscipiendi fieri: quia cum nihil ab oculo exeat in eo suscipitur, tū obiecti representatio, tum immanens visionis actus.

Oculus animatum speculum.

Vterq; visionis modus mihi sane probabilis videtur, sed nescio quomodo magis posterior. Tū quia si alterius hominis pupillam aspiciamus, semper aliquid in ea representari cernimus. Tum quia melius ita facultas coniungi videtur cum obiecto, quam si solum in congrua distantia proponatur obiectum.

Visio per lineam rectam perpendicularem.

Semper autem visio fit per lineam rectam perpendicularem. Nam cum tribus modis possit obiectum ab oculo distare; aut per lineam curuam, aut per rectum non perpendicularem, aut demum per rectam perpendicularem, quae ab obiecto ad oculum recta progrediatur atq; in eo recto efficiat angulos; hoc solum postremo modo fit visio. Quonia cum facultas videns materialis sit virtus & extensa, quae in actione sua pender à quantitate & virtutis sphaera; per lineas agit brevissimas, quae rectae sunt & perpendiculares. Atque vt visione vnica quodlibet maximum obiectum percipi possit, prouidit natura oculum rotundum. Hoc enim differt orbicularis figura à plana, quod in plana lineae omnes à maiori figura ad minorem ductae nequeunt esse perpendiculares: at in circulis, quorum idem sit centrum lineae omnes à maiori ad minorem ductae perpendiculares

Oculus curuata figura.

sunt. Cum igitur oculus circularis sit, si circa illum orbem proponatur obiectum, poterit totū vnica visione cerni. Immo obiecta plurima in orbem posita simul videri possunt, quod per lineam perpendicularē omnia cum oculo coniungantur. Perfecta tamen & exquilita visio per eas solum conuenit lineas, quae è diametro respiciunt oculum. Hoc esse experimur, dum nos quidem multa simul videre animaduertimus; sed illum solum perfecte, in quod oculos directe coniungimus. Nam cum ad vniendūm praeter speciei susceptionem, vel propositionem, seu representationē obiecti, quae omni ex parte per lineas rectas perpendiculares fieri potest, requiratur adhuc attentio & applicatio facultatis ad virtutis visiuae; quae vt finita est, ita perfecte non potest simul praesentibus omnibus obiectis applicari illud perfectissime omnium cernitur, cui praesentia applicatur: hocq; illud est, quod è diametro magis opponitur. Atq; hanc ob causam adiuuati sunt oculi loti tor musculi, vt facile omnem in partem mouerentur, alijsq; atq; alijs obiectis applicarentur.

Hinc vero permulta, quae à Peripateticis dicitur, facilem habent explicationem. Primum, cur magnum molem, vt magnam urbem, perfectius & integrius videamus, cum ab ea distamus, quam cum minime accessimus. Nimirum è longinquo pluribus partibus è diametro opponitur oculo; quoniam in minori quantitate apparet, quam è propinquo. Quod fit, vt volentes aliquid integrè & totum simul videre, remoueamus non nihil ab oculo. Nam est distinctius cernatur propinquum, remouius tamen videtur integrius, quia totum melius sub aspectum cadit.

Secundo, cur dicant peripatetici visionem fieri per lineam rectam & per pyramidem seu triangulum, cuius basis in obiecto & cuspis in oculo. Cuiusmodi obiectum sit amplum, & maius multo, quam oculus, visionem necesse est ab oculo quali dilatate se, vt totum amplectatur obiectum: & ideo fit quasi pyramis ab oculo insilens obiecto. In qua quilibet oportet lineas omnes perpendiculares esse in oculo, quamuis non sint in obiecto: sed inter eas accedat est vnica esse in medio Pyramidis, quae in obiecto quoq; sit perpendicularis. In hac fundatur Pyramis & ideo vocatur axis seu sagitta, tenditq; ad eam obiecti partem, quae è diametro opposita est. Hinc illud, Per axim seu sagittam nos certificari de obiecto quoniam perfectissima fit per hanc lineam visio.

Tertio, vt perfecte aliquid videamus, post vnam visionem, qua totum obiectum obiter quasi aspeximus, singulis eius partibus adiuuemus oculos, singulas considerantes. Totum enim obiectum non potest simul è diametro proponi oculo; sed necesse est singulis applicationibus singula proponantur.

Quarto, cur cum aqua quiescit, videmus in illa faciem nostram, cum vero agitur, non videmus eam cum quiescit, potest oculus firmiter applicari: ac cum agitur, nullam habet firmam ac certam axim, sed ea quoq; agitur. Eandem ob causam & legere deambulando aut alio modo mouendo corpus, de tormenta, quae hominem in gyrum verterunt, aspectui plurimum obfunt maximeq; fatigant: quoniam oculus in axe figenda laborat, nec eam potest firmiter tenere.

Quinto intelligitur ratio mutabilitatis visionis, nempe ex agitatione axis aut ex motione obiecti aut oculi: quo modo in aspectu plurime deceptiones contingunt & Aristoteles scribit in cap. 2. lib. de somnijs.

fomnijs, videri nauigantibus terram moueri, quod moueantur ipsi & in probl. 9. sect. 3. ebrijs videri omnia moueri, quod ascendant habitus plurimi & sumi, qui axem oculi, spiritum, ac vim totam vident magnopere agitant.

Sexto, cur cum duo sint oculi, vnicum obiectum appareat. Id enim vniformitate axium, quae ad idem obiecti punctum terminantur. Quare si comprimatur, obiectum apparet duplex, quia mutat axis.

Septimo ad cognoscendam rectitudinem distantiae obiecti confueuiss nos alterum claudere oculum, vt videre est, inquit Philosophus, in sagittarijs. Nam vt recte sagittam mittant, alterum claudunt oculum. Etenim vnico oculo vnica axim facile in obiectum & scopum dirigunt. Obiecti tamen distantia multo melius vtroque oculo aperto & applicato percipitur: sed applicare plura, & coniungere difficultus est: praesertim si res tenues sint ac minuae. Quam ob causam difficile est filu in foramen acus impingere: quonia duae res tenues ac minuae coniungendae sunt, quib' no est facile applicare axim. Et ebrij fore dicuntur nescire duos digitos coniungere, quoniam propter motum vaporum firmare axim nequeunt. Ceterum de his fortasse nimis multa. Iam enim ad perspectiuorum scientiam penè transcendimus, dum de naturalibus disputamus.

DE AUDITU. CAP. VIII. TEXTVS.

Ἐὰν αὐτὸς κίνησις ἢ ἀκίνησις ἢ ὁμοίως ἴσῃ. οὐδὲν γὰρ αὐτῷ ἀκίνητον ἢ ἀκίνητον ἢ κίνητον αὐτῷ κίνησις. διὸ καὶ οὐκ ἔστιν ἡ ἀκίνησις κίνησις, καὶ ἡ κίνησις ἀκίνησις. καὶ ἡ ὁμοίως ἴσῃ ἀκίνησις ἀκίνησις, καὶ ἡ ὁμοίως ἴσῃ κίνησις κίνησις. καὶ ἡ ἀκίνησις ἀκίνησις, καὶ ἡ κίνησις κίνησις. καὶ ἡ ὁμοίως ἴσῃ ἀκίνησις ἀκίνησις, καὶ ἡ ὁμοίως ἴσῃ κίνησις κίνησις.

Eadem autem ratio est et de sono, et de odore. Nihil enim ipsorum tangens sensum facit sensum. Sed ab odore quidem et sono mouetur medium, ab hoc autem sensorum vtrumque. Cum autem, si per ipsum sensorium aliquis apposerit sonans aut olens, nullum sensum facit. De tactu autem et gustatu simili quidem modo se habet, non autem videtur. Propter quam autem causam, praesertim erit manifestum.

COMMENTARIVS CXIX.

DE aspectu satis dictum est, de quo multiplici eius obiecto: deinceps de reliquis sensibus & illorum obiectis dicendum est. Secundus autem locus auditui debebatur, quoniam multis partibus reliquos omnes superat. Nam & est disciplina sensus, vt in lib. de sensu & sensibili cap. 1. & in praemio Metaphys. habet Philosophus, ac perdiscuntur plurima: nec animalia, quae hoc sensu carent, disciplinae capacia sunt. Ad prudentiam vero ac moralem totam scientiam atq. administrationem confert plurimum: cum haec ferè omnia in crebra multorum auditione & consultatione consistant. Tum vero ad supernalem quoq. cognitionem: siquidem fides ex auditu comparatur, vt S. Paulus loquitur. Ad permouendos quoq. animos, vt quotidiana experientia & plurimorum veterum exempla testantur. Namq. hic sensus qualitate habet pro obiecto, quae inter ceteras maxime immaterialis est, cum per solum localem motum producat, qui nihil dicitur producere in tex. 99. lib. 8. Phys. ea est sonus.

A Etu verò Themistius ad textum vsq. 77. aspectus considerationem producat, melius tamen Philoponus superiori textu absolutam fuisse arbitrat. Quippe nihil de eo amplius dicitur, sed ad alios potius sit transitus. Et quoniam ab aspectu & aspectabili tanquam perfectissimis & manifestissimis principium fecit: eadem methodo ad auditum & odoratum atque ad audibile & odorabile aggreditur, tum vero ad gustatum & tactum gustabileq. & tactibile. Nam etu tactus omnium sensuum primus in animalibus inest, sitq. omnium communissimus: obscurissimus tamen est, & plurimam habet ac difficillimam quaestionem; tum de immediato ipsius organo; tum vero an sit vnus an plures sensus. Gustatus vero tactus quispiam est. Odoratus demum obscurus in nobis & infirmissimus existit: quod fit, vt nec odorum differentias satis habeamus perfectas. Antea igitur de auditu agendum fuit.

B Auditus porro & odoratus tractationem aggrediens, & eam optime cum antecedenti aspectus consideratione coniungit, & quaedam sensibus hinc omnibus communia permittit: dum statim ponit eandem esse soni & odoris rationem, quae de colore fuit expolita. Quonia haec ipsa obiecta, si organo sensus ad moueantur, plane non sentiuntur, sed ipsa quoq. corpore aliquo interiecto sentiri volut: ita vt primu moueat & afficiant mediu, deinde sentiendi organu.

C Cur medio opus sit, duplici rationem habet simplicius. Alteram, quoniam sensibile obiectum, & eius motio proportionem cum sensu habere debet. At si absq. medio moueret, immoderate ageret, nimioq. excessu laederet potius ac dissolueret, quam perficeret sensum. Hoc enim re ipsa saepe experimur, si aut vehemior lux affluerit oculo, aut nimius sonus aut odor auribus naribusq. proprius admoti fuerint. Quod si obiectum exile sit ac tenue, propius quidem ad mouendum erit; at non ita, vt tangat: propter eandem scilicet necessariam proportionem.

D Alteram addit rationem, quam non solum non probat, quin potius magnopere minor à sapiente philosopho fuisse propolitam. Dum enim necessarium esse ait medium, qui opus est aliquo, per quod obiecti motus deferatur atq. ad sensum traiciatur, sicut lapis vecte: manifeste petit principium illudq. ipsum respondet, quod quaeritur. Siquide hoc ipsum quaerimus, cur non possit immediate sensus ab obiecto moueri, sed opus sit aliquo, per quod eius transmittatur motus.

E Prior autem illius ratio in gustatu & tactu locum non habet; in quibus organum tam est solidum & corpulentum, vt non solum immoderata motio ab obiecto timenda non sit, sed omnino requiratur & optime sustineri possit. In alijs vero sensibus potest esse obiectum remissum, quod immoderate non agat neq. laedat: aliamq. ob causam requiri medium paulo post docebo.

Latini quoque interpretes huius rei rationem quaesierunt; & quide S. Thomas aliq. pene omnes sensum tradiderunt egere medio, quia cum sit facultas minus materialis, quam sint carere naturales, minus materialiter debet obiectum suum percipere: quod si absque medio interiecto perciperet, materialiter nimis perciperet. Et cum non fiat transitus ab extremo ad extremum sine medio; neq. ab obiecto maxime materiali potest immediate natura transire ad modum minime materialem, quem habet in organo: sed medio quodam modo habere antea se oportet in interiecto corpore.

Sensum per medium differit & cur.